

CAPUT XI.

De assistentia erga moribundos ^{a)}.

227. - Non est charitatis opus magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitae periculo positos ad sancte moriendum adjuvare; nam tempore mortis, a qua uniuscujusque aeterna vita pendet, inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quam gratam habeat assistentiam moribundis praestitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos religiosi infirmorum ministris verba suppeditantes.

228. - Nec id parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. De parochis tamen Rituale Romanum praesertim loquens ait, praecipuum illorum muneris partem esse aegrotantium curam habere. Quapropter vult ut ipsi, statim ac aliquem ex suis parochianis aegrotare intelligunt, non expectent ut infirmus parochum arcessat, sed ipse parochus ultro eum invisere curet; idque non semel tantum sed frequentius, si infirmum etiam spiritu aegrotare advertit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem praestandum providebit per alium sacerdotem, modo hic sit pius et prudens. Quidam enim sacerdotes hoc munus exercendo magis quam utilitati damno esse solent, tam infirmis quam sibi et infirmorum domesticis, quorum profectum sacerdos assistens etiam respicere debet. Monet insuper Rituale, ut, si sacerdos forte deesset, id parochus praestandum curet saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate praeditum, qui sanctis verbis infirmo praesto sit.

§ I. - *Monita ad sacerdotem assistentem.*

229. - 1^o. Sacerdos clam procuret a medico scire an infirmitas sit mortalis. Dico: *clam*; quia detestabilis usus medi-

corum est aegrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam cognito periculo, illis imponere debent), idem sit ac mortem denuntiare.

230. - II^o. A conjunctis, amicis, necnon ab ipsomet aegrotato ejus naturam, indolem et defectus perquirat; item quibus indulserit passionibus, et praesertim si ad aliquam bonorum aut famae restitutionem teneatur; si odium aut pravam habuerit amicitiam; ut omnibus opportunum praebere possit remedium. - Caveat memorare infirmo personas odio habitas aut impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget, quis illos, qua de causa vel quomodo laeserit; et si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, de litibus, filiis, bonis aliisque rebus impertinentibus ne verbum quidem faciat.

231. - III^o. Post igitur quam morbum periculosum esse deprehenderit, in principio non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat, benigne interroget. Hortetur deinde, ut se Dei voluntati conformet utque suos cum Christo in cruce languente dolores jungat, necnon ut eos pro peccatorum satisfactione patienter ferat. Et sic paulatim, quae par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam, si velit, reducere sanitatem. At, eodem tempore, sensim efficiat ut aegrotus suae infirmitatis periculum agnoscat. Praesertim advertat ne ille omnino fidem praebeat medicis et propinquis, qui

Inquirat de indole moribundi.

Prudenter illum alloquatur.

Paulatim confessionem consulat.

forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum moerore afficiant. Dicat sapientis esse praevidere futura. Hortetur ut, dum mens valet, confessionem faciat, quae corporis salutis, si animae expedierit, etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuerat peccata, e strato incolumis surrexerit. Pariter Cantipratensis enarrat, quod quidam eques, ubi multa non profuerunt medicamina, confessionis virtute statim convalesceret.

232. - Si tamen aegrotus dilationem quaerit, et periculum mortis, lethargi vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut illi determinet tempus, puta vesperrarum vel diem crastinum confessioni explendae. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum D. Augustino moneat, quod Deus non promiserit peccatores expectare, sed tantum parcere eis, si poenitentiam agant: *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit* ^{a)}. Quod si adhuc infirmus nec etiam per haec monita ad confessionem adduci possit, sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciae argumentis curet ipsum expergefacerere; et provideat ut tam privatae quam publicae, pro hujus miseri salute, preces ad Deum adhibeantur.

233. - IV^o. Si morbus increverit, infirmum hortetur ut de suis domesticis rebus opportune disponat. Id enim expedit pro familiae pace, et eo magis, si opus sit pro illius conscientiae levamine. In hoc tamen sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem aegrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione teneri illis bona sua relinquere, saltem quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficiat. Haec tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinquis. Observa, quod dictum est in Opere,

Rit. Rom., De visitatione et cura infirmorum, v. *Proponet*. - *Recup.*, De Signis praedestinationis, tr. 2, de

Lib. III, n. 946. Si vero aegrotus vult pro sua anima aliquid testari, ipsum moneat ne onus illud haeredibus imponat; quia experientia docet legatis piis pene nullis satisfieri. Sed potius hortetur ut aliquod corpus assignet vel pecuniae summam ad sacrificia aut aliam piam operam persolvendam. Caveat sacerdos ne consulat infirmis quidquid aliis praejudicio esse potest, cum Christi ministros non deceat aliorum odium sibi commovere.

234. - V^o. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, italico, imo vernaculo, semper loquatur sermone. Cum litteratis contra, comioribus verbis, et aliquoties etiam latinis ex Scriptura excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet Rituale ne sacerdos nimis loquendo et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundat quam adjuvet. Pater Recupito, e Societate Jesu, de seipso refert, morti proximum, quidquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur; ita ut, ne magis laederent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

235. - VI^o. Praeter parvas Christi Domini crucifixi Beataeque Virginis imagines, quas juxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos ejus collocari faciat imagines Deiparae et Redemptoris majoris molis, ut sic aegrotus, quocumque se vertat, eas cernere possit et illis se commendare.

236. - VII^o. Curae ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, veluti arma, imagines parum honestae, et praesertim personae, quae aliquo modo occasionem peccati praebere possint; et istae non solum a cubiculo, sed a tota domo expelli debent. Et dum infirmus agoniae proximus videtur esse, sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, praeter unum aut duos tantum, qui ipsi, dum oportet, praesto sint. Etiam

numero praedestinatorum, cap. 7, num. 29, in f. (Edit. Neapol., 1643).

231. - ^{a)} Haec facta non potuimus invenire nec apud Vincentium Belluacensem, nec apud Thomam Cantipratensem. Ceterum, quidquid sit de illorum authenticitate, duo exempla omnino similia et certe authentica legi possunt

in Vita S. Philippi Nerii, a Bacci conscripta, *lib. 5, part. 2, § Miracoli con mezzi diversi*.

232. - ^{a)} En verba S. Augustini: «Cras, inquis, bene vivam. Indulgentiam tibi Deus promisit; crastinum diem tibi nemo promi-

Actus christianos suggerat,

sed sapienter.

Curet ut sanctae imagines juxta infirmum apponantur;

ut omnis occasio peccati amoveatur.

Assistere moribundis opus Deo gratissimum,

quod omnes sacerdotes,

et praesertim parochi praestare debent.

Quid, si parochus sit impeditus,

Sacerdos clam roget medicum de morbi gravitate.

S. Philip. Ner., in ejus Vita a Bacci descripta, lib. 1, cap. 6, in f. - *Rit. Rom.*, de Visitat. et cura infirmorum, in it.

227. - ^{a)} Hoc caput a S. Doctore postea assumptum est in *Hom. Apost., Append. 2*,

paucis quibusdam mutatis circa modum dicendi. Et cfr. supra, notam a ad n. 172.

prohibeat, in aegroti cubiculum propinquiores cognatos ingredi, qui aliquam passionem excitare possent.

§ II. - *Remedia adversus tentationes.*

Remedia generalia contra tentationes.

237. - Praecipua contra tentationes remedia sunt, Jesu ac Mariae sanctissima nomina saepius invocare et crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus daemonis insidiis quaedam hic annotare expedit.

Remedia particularia contra fidei tentationes:

238. - Et I^o. *Adversus fidei tentationes.* - Ab hac terribili tentatione praesertim agitantur qui, cum perditam egerint vitam, sibi suoque iudicio nimis adhaeserunt; praecipue si viri eruditi fuerint.

Elicere generatim actum fidei.

Hi sedulo monendi sunt ut, si daemon aliquod eis circa fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo, quod sancta mater Ecclesia credit, quae veritatem credit et confitetur.* Horteturque sacerdos infirmum ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiae sinu ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa fide usque ad extremum vitae perseverare velle profiteatur. Praecipuus tamen modus et utilior ad huiusmodi tentationes repellendas erit, mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum et similia. De quodam doctore Bellarminus refert, quod hic, dum in morte cum daemone disserere de quodam fidei articulo voluerit, deceptus succubuit et mortuus est ^{a)}.

Mentem alio divertere.

Quandoque motiva credibilitatis considerare.

239. - Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo, quod nostrae fidei (per se sanctae et intemeratae, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusae, tot miraculis ac tot millium martyrum sanguine qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatae) argumenta luce clariora sunt et manifeste illam veram esse patefaciant, licet res quas ipsa docet, nunc

per speculum in aenigmate videamus; nam si mysteria, de quibus nos instituit, essent evidenter, ubi esset meritum fidei? Quae ideo fides dicitur, quia res quas docet, obscurae sunt et non apparentes. Hinc dictum fuit: *Beati qui non viderunt et crediderunt* (Joan., xx, 29).

240. - II^o. *Adversus tentationem desperationis.* - Haec est praecipua tentatio, qua infernus vehementius aegrotos impetit. Unde illis de divina iustitia, de damnatorum poenis loqui, eorumque patrata scelera exaggerare, sacerdos caveat; sed potius ipsis fiduciae in misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis et Dei Matris intercessione argumenta insinuentur.

Remedia contra tentationes desperationis:

Insinuantur argumenta fiduciae:

1^o. Misericordia Dei.

241. - *Primum* igitur nostrae spei *motivum* est divina misericordia, dum Deus vocatur et vere est *pater misericordiarum* (II Cor., i, 3). Ipse occurrit etiam non quaerentibus se: *Invenierunt, qui non quaesierunt me* (Is., lxxv, 1). Magis Deus cupit nos salvos facere, quam nos salutem optamus. Quare ipse merito de illis queritur, quos etiam fugientes amplectari desiderat, ut ait D. Bernardus: *Amplecti quaerit, a quibus desertum esse se queritur* ^{a)}. Ipse est totus pronus ad ignoscendum: *Multus est ad ignoscendum* (Is., lv, 7). Protestatur se nolle mortem peccatoris: *Nolo mortem impij, sed ut convertatur et vivat* (Ezech., xxxiii, 11). Dicit quod, cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriam amittit: *Si ... impius egerit poenitentiam ..., omnium iniquitatum ejus ... non recordabor* (Ezech., xviii, 21 et 22). Post haec divina testimonia, quis unquam de Dei misericordia diffidere poterit? Unus tantum doloris actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus vix ingemendo dixit: *Propitius esto mihi peccatori!* et justificatus est [Luc., xviii, 13]. Prodigus filius, statim ac ad patris pedes rediit, pater eum am-

plexus est [Luc., xv, 20]. David ut dixit: *Peccavi, Nathan ei respondit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (II Reg., xii, 13).

2^o. Incarnatio et Passio Jesu Christi.

242. - *Secundum motivum* est passio Jesu Christi, qui non ad aliud quam peccatorum salutem in terram se descendisse protestatur: *Non ... veni vocare justos, sed peccatores* (Matth., ix, 13). Profiteatur etiam, nullum a se abire pati: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras* (Joan., vi, 37). Et apud Matthaeum (xviii, 12) ait quod ipse est bonus ille pastor, qui dispersas oves quaerit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur suisque humeris imponit: et videtur deinde hanc majori diligere affectu, prout se gessit cum S. Maria Aegyptiaca, B. Angela a Foligno, S. Margarita a Cortona aliisque poenitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damnari a Domino, qui, ne damnaret nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

3^o. Divinae promissiones.

243. - *Tertium motivum* sunt divina promissa. Multis in locis Evangelij, petentibus divina promittitur gratia: *Petite et accipietis* (Joan., xvi, 24). *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan., xvi, 23). Et hic non solum de justis, sed etiam de peccatoribus sermo fit, juxta textum Matthaei: *Omnis ... qui petit, accipit* (Matth., vii, 8). Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur. *Bonus est Dominus ... animae quaerenti illum* (Thr., iii, 25).

4^o. Intercessio Sanctorum et praesertim Deiparae.

244. - *Quartum motivum* est Sanctorum intercessio et praesertim Deiparae, quam vult Deus ut nos cum tota Ecclesia salutem nostrum refugium, vitam et spem nostram, ac dicamus: *Refugium peccatorum, ora pro nobis: vita, spes nostra, salve!* Unde merito ipsa B. Virgo appellatur a Blossio: *Spes desperantium*, et a S. Ephrem: *Adjutrix destitutorum*. Eadem Dei Mater B. Birgittae revelavit, quod, sicut aliqua mater videns filium

inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit; ita ipsa curat devotos suos tutari, dum a daemonibus vexantur eique se commendant. Insuper dixit quod cum accedit ad eam peccator, ipsa non ejus merita discutit, sed cum quali intentione veniat, attendit. Et Deus ipse B. Catharinae Senensi revelavit, Mariae suae filiae concessisse, quod quivis peccator ad eam recurrens nullò modo possit a daemone rapi.

Remedia contra tentationem vanae gloriae.

245. - III^o. *Adversus tentationem vanae gloriae.* - D. Bernardus ait, quod vana gloria est quaedam sagitta, quae *leviter penetrat ... sed ... non leve infligit vulnus*; praesertim si persona timoratae sit conscientiae. Si igitur sacerdos unquam adverteret, moribundum nimis se reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit, ei dicat quod peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bona a Deo recepimus, ex illo: *Quid ... habes, quod non accepisti?* (I Cor., iv, 7). Et cum certum sit, nullum suae salutis aeternae divinaeque gratiae infallibilem certitudinem habere posse (*Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Eccle., ix, 1); ideo quisque semper pavere debet, et cum metu et tremore salutem suam operari, ut ait Apostolus (Philipp., ii, 12).

Contra tentationem impatientiae.

246. - IV^o. *Adversus tentationem impatientiae.* - Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur, quanta martyres pro Christi nomine tormenta sint passi: vivi excoriati, adusti, trucidati. Et praesertim ei ob oculos ponantur omnia, quae innocens Jesus propter nostrum amorem est perpessus.

Exemplum martyrum et Jesu Christi.

Dicatur aegroti, quod infirmitatis dolores vitari nequeunt; unde, si ipse invitus eos patitur, male nunc et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo accipiet, non solum hic a morbi poena levabitur, sed ibi minus purgatorii tormenta luet, magisque postea in coelo remunerabitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (Joan., xvi, 20). Moneatur

Dolores infirmitatis vitari nequeunt.

sit ». *Enarr. in ps. 101, serm. 1, n. 10*; Migne, tom. 37, col. 1301. Cfr. etiam *Enarr. in Ps. 102, n. 16*; Migne, tom. 37, col. 1330.

238. - ^{a)} Bellarminus, *loc. cit.*, hoc exemplum refert ex Petro Barocio « episcopo Pa-

tavino qui scripsit libros tres de ratione bene moriendi ».

241. - ^{a)} S. Bernardus hoc fere habet in *Tract. de interiori domo, cap. 21*; Migne, tom. 184, col. 529.

S. Maria Aegypti, Acta SS., mense April, tom. 1, pag. 80 et seqq. - B. Angela, Acta SS., mense Jan., tom. 1, pag. 186 et seqq. - S. Margar., Acta SS., mense Febr., tom. 3, pag. 305 et seqq. - Blossius, Consolatio pusillanimum, cap. 35, num. 3 (edit. Antwerp. 1632). - S. Ephr., Sermo de laud. B. M. V., post init. (edit. lat.

Venet. 1755). - S. Birgitta, cfr. Revel. extravag., cap. 89 (edit. Rom. 1628). - S. Birgitta, Revel., lib. 2, cap. 23, init. - S. Cathar., Dialogo (trattato della divina Provvidenza), cap. 139 (edit. Senen. 1707). - S. Bern., in Ps. *Qui habitat*, serm. 6, n. 3; Migne, Patr. Lat., tom. 183, col. 198.

et complent aeternam coronam.

Pretium crucis.

quod extremae vitae cruciatus nostram complent aeternam coronam: quoniam, ut S. Bonaventura dicit, poenas patienter tolerare aliis cunctis operibus perfectius opus est ^{a)}, juxta illud Jacobi: *Patientia... opus perfectum habet* (Jac., I, 4). Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux est nostrae praedestinationis securius signum. B. Clara per 28 annos doloribus vexata vitam duxit. S. Lidvina per 38 annos semper infirmitatum pondus toleravit; et divina Mater quodam die B. Birgittae aegrotanti sic dixit: *Scis, quare tua infirmitas tam in longum abierit? Abiit, quia te Filius meus et ego nimis diligimus*. Nos miseros viatores inter hujusmodi saeculi aerumnas Apostolus valde consolatur dicendo: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae... aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (II Cor., IV, 17). Et alibi: *Non sunt condignae passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom., VIII, 18).

Patientiam a Deo postulare.

247. - Et sic infirmo sedulo oportet suadere ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro moneat illum ut a Deo patientiam expostulet.

Contra tentationem conquestionis, considerare miseriam vitae.

248. - V^o. *Iis qui aegre ferunt mortem immature* ^{a)}, ob oculos ponantur praesentis vitae miseriae, infirmitates, animi angores, necnon peccandi et damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avide mortem exoptabant. S. Theresia ajebat: *Heu mihi, quia in omni vitae meae momento Deum amittere possum*; unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eo quod jam hora hujus periculi transacta esset ^{b)}. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent et Deo fruerentur.

S. Clara, Acta SS., mense Aug., tom. 2, pag. 763. — S. Lidvina, Acta SS., mense April., tom. 2, pag. 273

246. - ^{a)} S. Bonaventura, *Opusc. 23, Legenda S. Francisci, cap. 14, n. 2* dicit: « Omnia merita in patientia consummantur ». Cfr. etiam *Comment. in Evang. Luc., c. 21, vers. 19 et Opusc. 11, Apologia pauperum, cap. 3, n. 7* (edit. Quaracchi).

248. - ^{a)} Textus italicus « in juventute ». ^{b)} S. Theresia, *Vita, cap. 36* (al. 40) v. f., sic loquitur: « Magno perfundor gaudio quo-

Hinc dicitur in Apocalypsi (xv, 13): *Beati mortui qui in Domino moriuntur... ut requiescant a laboribus suis*. In hac lacrymarum valle viatores sumus: *Non... habemus hic manentem civitatem* (Hebr., XIII, 14). Unusquisque sive rex sive Pontifex, mortem subire debet.

249. - Hortetur infirmum ut Deo gratias agat, quia non permisit eum mori tempore quo erat in peccato; et quia nunc ipsum sacramentis munitum discere disponit. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse, quia evadimus tot leves culpas a quibus in hac vita immunes esse non possumus ^{a)}.

250. - Dicat aegrotus: *Frater mi, oportet ut te conformes voluntati Dei, quia omnia disponit propter nostrum bonum. Quis scit, annon, si amplius viveres, animam perderes?* — Sed dicit infirmus: *Ego vivere optarem ad aliquam Deo de culpis meis satisfactionem praebendam et aliquid boni ante mortem peragendum, dum usque adhuc nihil egi*. — Respondeat sacerdos: *Fili, nulla poenitentia est Deo magis accepta, quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare, nullusque actus perfectior est quam mortem accipere ad voluntatem Dei exsequendam*.

251. - VI^o. *Adversus tentationem adhaesionis bonis et propinquis*. — Eis quibus mori displicet, quia nimis adhaerent bonis, dicat confessarius, haec non esse vera bona, cum sint transeuntia et de brevi defectura, et si non deficient, potius animam angunt quam solantur.

252. - Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios aut nepotes dilectos, quos relinquit, blande sic hortetur: *Fili mi, statutum est omnibus mori; omnes te ordine sequentur. Nunc tuae saluti consule et animam tuam salva, et sic pro-*

et 279. — S. Birgit., *Revelat extrav., cap. 67*. — S. Theres., *Cantiuncula Vivo sin viver en mi*, vers. 11.

ties horologium sonare sentio, mecum cogitans unam vitae horam effluxisse, ac proinde me propius accessisse ad momentum videndi Deum ».

249. - ^{a)} Sic vertendus est textus italicus: « Semper in hac vita culpis venialibus Deum offendimus. Unde, saltem ad vitandas illas culpas, mortem acceptare, immo expetere debemus ».

Sacerdos objectioni respondeat.

Remedia contra tentationem adhaesionis bonis,

et propinquis,

qui relinquuntur inopes.

Remedia contra tentationem odii:

Praeceptum.

Conditio veniae.

Injuriae erga Deum.

Res Deo grata.

Exemplum Sanctorum.

ipsis in coelo orabis, unaque cum ipsis eris aliquando beatus in aeternum. Sed nunc quid dulcius quam proficisci ad manendum cum Jesu Christo, cum Regina coeli et omnibus sanctis..

253. - Si autem angitur, quia conjunctos suos relinquit inopes, ei dicat: *Audi, fili, si tu aeternam salutem assequeris, multo melius de coelo quam de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites, quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu illos amas, Deus plus te diligit*.

VII^o. *Adversus tentationem odii et vindictae* — Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur: 1^o Ipsi intemetur divinum praeceptum: *Diligite inimicos vestros* [Luc., VI, 27].

2^o. Dicatur ei quod, qui non dimittit, nec veniam sperare possit a Deo, qui dicit: *Foris canes!* (Apoc. XXII, 15). Canes, vindicum symbolum, repelluntur a coelo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori qui veniam dat offensori suo ex illo: *Dimittite et dimittimini* (Luc., VI, 37).

3^o. Subdat quod, si inimicus injuste laeserit ipsum, quanto injustius ipse Deum? Quamobrem, si ipse petit a Deo, ut sibi ignoscat, quanto magis proximo ipse ignoscere debet? *Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (Col., III, 13).

Ultimo ostendat eidem, quam gratam rem Deo exhibeat, qui injurias dimittit. S. Joannes Gualbertus, postquam fratricidae pepercit, ecclesiam ingrediens imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemptorem erga se caput inclinare, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. S. Jacobus ante mortem amplexatus est eum, qui ipsum accusaverat. S. Stephanus oravit pro eis, qui eum lapidabant [Act., VII, 59]. S. Ludovicus, Galliae rex, apud se coenare fecit hunc, qui sibi mortem fuerat

molitus. S. Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et praecipue primum exemplum de hoc praestitit Dominus noster Jesus Christus qui, in cruce positus, pro persecutoribus et maledicentibus sibi Patrem exoravit [Luc., XXIII, 34].

§ III - *Varia motiva et affectus aegrotis suggerenda.*

254. - 1^o. Motiva fiduciae. — De his supra (in § II) jam locuti sumus. Illis posunt sequentes adungi ex Scriptura: *Nullus speravit in Domino et confusus est* (Eccli., II, 11). *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (I Joan., II, 2). Jesus Christus ad hoc mortem subiit ut nobis veniam criminum obtineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom., VIII, 32). Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium?

Motiva fiduciae.

255. - Affectus fiduciae: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* (Ps. XXVI, 1). — *In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis. — Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti! — In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. — O bone Jesu, intra tua vulnera absconde me! — Vulnera tua, merita mea* (S. Bernardus) ^{a)}. — *Jesu mi, non negabis mihi veniam, qui vitam et sanguinem mihi non negasti. — Passio Jesu, tu es spes mea. Merita Jesu, vos estis spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea. — Maria mater mea, salva me, miserere mei! — Spes nostra, salve! — Sancta Maria, mater Dei, ora pro me peccatore! — Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix.*

Affectus fiduciae.

256. - II^o. Motiva et affectus contritionis. — Dicit S. Augustinus, quod nemo

Motiva et affectus contritionis.

S. Joan. Gualb., Acta SS., mense Julio, tom. 3, pag. 328. — S. Jacob. Major. Apost., Acta SS., mense Julio, tom. 6, pag. 9. — S. Ludov., Acta SS., mense Augusto, tom. 5,

pag. 683. — S. August., cfr. Enarrationes in Ps. 101, serm. 1, num. 10; Migne, Patrologia Latina, tom. 37, col. 1301.

255. - ^{a)} S. Bernardus, *serm. 61, in Cantic., num. 4 et 5*, hunc affectum fiduciae sic pulchre proponit animae devotae: « In quo enim clarius quam in *vulneribus tuis* eluxisset,

quod tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae? ... *Meum* proinde *meritum* miseratio Domini » (Migne, Patr. Lat., tom. 183, col. 1072 et 1073).

usque ad extremum vitae debet omittere peccata sua deplorare.

Non intres in iudicio cum servo tuo! (Ps. cxlii, 2). — *Jesu mi et iudex meus, parce mihi, antequam venias ad me iudicandum!* — *Cor contritum et humiliatum, Deus non despicias. Deus meus, oh nunquam te offendissem!* — *Domine mi, non debebas sic tractari a me, sicut impie feci.* — *Pater, non sum dignus vocari filius tuus. Ego a te discessi, tuam desepi gratiam, ultro te amisi. Toto corde me poenitet, Deus meus, propter amorem et sanguinem Jesu Christi parce mihi! Maledicta peccata mea, quae Deo me privastis, ego vos delector, abominor et maledico!* — *Deus meus, quid male fecisti, quod ipse sic offendi te? Propter Jesum Filium tuum miserere mei!* — *Nunquam, Domine, te offendam, quoadusque vivam; sive parum sive multum mihi supersit, volo te amare.* — *Offero tibi in satisfactionem contumeliarum quas tibi irrogavi, mortem meam et dolores quos usque ad mortem perferam.* — *Domine, merito me punis; nimis te offendi. Sed quaeso, in hac, non in alia vita me castiga!* — *O Maria, impetra mihi dolorem culparum mearum; remissionem et perseverantiam!*

Motiva et affectus amoris.

257. - III^o. Motiva et affectus amoris: *Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo, amo te plus quam me, amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, quia nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me dignum!* — *Oh utinam omnes te diligenter!* — *Jesu dulcissime, cupio pati et mori pro te, qui propter me pati et mori dignatus es.* — *Domine, castiga me, uti vis, sed ne me privas te amare!* — *Deus meus, salva me; salus mea est amare te.* — *Opto paradysum, ut in aeternum et ex totis viribus meis te diligam.* — *Deus meus, ne me dejicias in infernum, ut mereor; ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses! Fac ut te amem, et mitte me quo vis!* — *Volo pati quantum tibi placet: volo mori ut tibi placeam. Devinci me tecum, Jesu mi, ne*

S. Gertrud., *Insinuations de la div. piété*, lib. 5, cap. 25, al. 26 (edit. Paris. 1620). — S. Cathar., *Acta SS.*, mensae

permittas me umquam separari a te! — *Deus meus, fac ut sim totus tuus antequam moriar!* — *Quando erit, ut dicere possim: Deus meus, non possum amplius amittere te?* — *Oh Deus meus, amare te vellem, quantum tu mereris!* — *O Maria, trahe me totum ad Deum!* — *Mater mea, ego multum te diligo; volo venire ad coelum, ad te amandum in aeternum.*

258. - IV^o. Motiva et affectus conformitatis. — Omne nostrum bonum et vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud: *Vita in voluntate ejus* (Ps. xxix, 6). Deus quidem vult quae nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Jesus apparuisset, mortem et vitam offerens, respondit ipsa: *Domine, quod tu vis, et ego volo.* Pariter S. Catharina Senensis, cum Jesus se illi praebuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram, ut ipsa eligeret, ipsa respondit: *Ego eligo, quae tibi placet.*

Motiva conformitatis.

259. - Affectus: *Eja N., si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper: Domine, ecce me, fac de me quod tibi placet! Semper fiat voluntas tua; volo tantum quod tu vis. Volo pati quantum tu vis; volo mori quando tu vis.* — *In manus tuas commendo animam et corpus meum, vitam et mortem.* — *Benedicam Dominum in omni tempore; sive me consolari sive me crucias, Deus meus; ego te amo et semper te amare volo.* — *Deus meus, cum morte Jesu mortem meam conjungo, et sic eam tibi offero.* — *O voluntas Dei, tu es amor meus!* — *O beneplacitum Dei mei, me tibi totum in holocaustum trado!*

Ejusdem affectus.

260. - Motiva et affectus desiderii erga paradysum.

Motiva. — Refert Blossius¹ plures revelationes, ex quibus habetur quod, in purgatorio, illi qui tepide coelum optavere excruciantur peculiari poena, appellata a DD. mysticis poena desiderii aut languoris. Praesens vita est poenarum carcer in quo Deum videre non possumus; unde merito rogabat David: *Educ de custodia animam meam!* (Ps. cxli, 8); et S. Augustinus clamabat: *Eja, Domine, moriar,*

April., tom. 3, pag. 901. — ¹ Conclave animae fidel., part. 2, Monile Spirituale, cap. 13, n. 8.

ut te videam! ^{a)} S. Hieronymus appellabat mortem sororem suam eique dicebat: *Aperi mihi, soror mea!* Et quidem recte; nam mors est illa quae paradisi januas nobis reserat. Et ideo pariter S. Carolus Borromaeus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori praecepit ut falcem deleteret et ejus vice clavem auream tamquam coeli clavem depingeret. Expediit igitur, ut sacerdos saepius alloquatur moribundos de coelestis patriae bonis, in mentem eis revocans quod Apostolus ait: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* (I Cor., ii, 9).

Affectus desiderii.

261. - Affectus: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (Ps. xli, 3). *Quando erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo et facie ad faciem te diligam?* — *In coelo semper te amabo, tu semper me amabis; invicem igitur in aeternum nos amabimus, Deus meus, amor meus et omnia!* — *Jesu mi, quando osculabor vulnera quae pro me sustulisti?* — *O Maria, quando erit ut me videam ad pedes illius matris quae tantum me amavit et auxiliata est?* — *Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende!*

Affectus dum infirmus crucifixum deosculatur.

262. - Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum crucifixum deosculatur: — *Dulcissime Jesu, ne respicias quod ego in te, sed quod tu pro me fecisti!* — *Recordare quod sim una ex ovis tuis, pro qua mortuus es!* — *Accepto, Jesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me!* — *Domine, majora tu pro me, quam ego pro te patior: tu innocens, ego peccator.* — *Deosculare, frater mi (dicit sacerdos infirmo), pedes illos qui tam ad te perditam ovem quaerendam et salvandam laboraverunt. Dic, quaeso: Amabilissime Redemptor, amplector pe-*

S. Hieron., ap. Surium, *Vitae SS.*, die 30 Sept., n. 47 (edit. Taurin. 1878). — S. Franc. Assis., in *Vita ejus de-*

des tuos, uti Magdalena amplexa fuit; fac ut audiam, te mihi pepercisse, uti illa audivit! — *Deus meus, mihi propter amorem Jesu Christi, parce et fac ut bene moriar!* — *Pater aeternae, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi trado. Jesu mi, multum tibi ingratus fui, miserere mei! Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me puni!* — *Si me fugientem quaesivisti, me te quaerentem ne derelinquas!* — *Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te!* — *Quis me separabit a charitate Christi?* — *Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animae meae peccatrici in egressu de corpore meo! Amen.* — *Jesu mi, tu propter amorem meum mortuus es: ego propter amorem tuum mori volo.*

263. - VII^o. Affectus, qui suggeri possunt sacerdotibus et religiosis infirmis: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* — *Deus meus et omnia! O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te, meum summum bonum!* — *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* — *Ne projicias me a facie tua!* — *Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te! Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori* (Ita dicebat S. Franciscus). — *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.* — *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* — *Diligam te, Domine, fortitudo mea.* — *Eja moriar, Domine, ut te videam!* — *Quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea in aeternum.* — *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* — *Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.* — *Averte faciem tuam a peccatis meis!* — *Tuus sum ego, salvum me fac!* — *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* — *Quis nos separabit a charitate Christi?* — *Amorem tui solum cum*

Affectus pro sacerdotibus et religiosis infirmis.

scripta a Chalippe, lib. 5, v. med. v. *Per vie più* (edit. ital. Pescin., 1791).

260. - ^{a)} Exclamatio ista reperitur ad verbum in libro cui titulus: *Soliloquior. animae ad Deum, liber unus, cap. 1* (Migne, Patr. Lat., tom. 40, col. 865). Sed S. Augustino per-

peram adscribitur hoc opus, quod confundi non debet cum alio opere, omnino authentico, cui titulus: *Soliloquior. libri duo* (Migne, Patr. Lat., tom. 32, col. 870 et seqq.).

gratia tua mihi dones, et dives sum satis. (S. Ignatius Lojola). — *Dilectus meus mihi et ego illi. — Misericordias Domini in aeternum cantabo. — Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus etc. — Vita dulcedo, spes nostra, salve! — Refugium peccatorum, ora pro nobis! — Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste prolege et hora mortis suscipe! — O salus te invocantium!* (S. Bonaventura).

§ IV. - *Monita circa ultima sacramenta et modum quo utiliter recipi possunt.*

I. - *Circa Confessionem.*

264. - Jam supra in *Praxi* [n. 105] monitum est quod, dum periculum mortis instat, aut forsati viaticum delatum est, et longa esset confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri (Vide nostram *Moralem*, *Lib. VI*, n. 260 et 484, v. *Si infirmus*).

Hic amplius animadvertenda sequentia, nimirum:

1°. Quisque sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo, ut Tridentinum¹ declaravit, censuris et casibus reservatis obstrictos absolvere potest (*Lib. VI*, n. 561). Advertendum tamen est, quod circa censuras reservatas tenetur confessarius, facultate carens, infirmo imponere ut elapso mortis periculo se praesentet superiori; secus in censuras reincident (*Lib. VI*, num. 563, *Dub. 1*, v. *Secus*).

2°. Simplex sacerdos absolvere non potest, praesente confessario approbato; secus tamen si confessarius approbatus veniat jam inchoata confessione (*Lib. VI*, n. 562); secus etiam si approbatus sit complex personae infirmae in peccato turpi, uti decrevit summus Pontifex Benedictus XIV (*Lib. VI*, n. 563).

¹ S. Ignat., Acta SS., mense Jul., tom. 7, pag. 550. — S. Bonav., Psalt. B. M. V., hymn. Te Dei Matrem (inter opera spuria S. Bonav., cfr. edit. Quaracchi, tom. 8, pag. cxl). — ² Sess. 14, de Poenit., cap. 7. — *Bened. XIV*, bulla *Sacramentum*, § 4, diei 1 Jun., 1741 et declarat.

3°. Moribundus sensibus destitutus recte potest absolvi, saltem sub conditione (quod videtur semper esse securius), dummodo constet, infirmum absolutionem desiderasse, poenitentiae signum praebendo, aut si confessionem quaesierit (*Lib. VI*, n. 481). Et id intelligitur, etiamsi moribundus in actu peccati sensus amiserit (n. 483); ex D. Augustini auctoritate et ratione; quia ex una parte conditio sacramenti irreverentiam removet, et ex alia semper in tali casu, quisque velle suae salutis consulere judicatur, et sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non intelligatur.

4°. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum esset, si sacerdos medicum monefaceret, ut juxta S. Pii V bullam eum non amplius invisere pergat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneat perveracia, tunc medico curam denuo suscipere licebit. Vide *Lib. VI*, n. 664.

II. - *Circa Communionem.*

265. - *Sequentia adnotantur monita:*

1°. Ut infirmo viaticum ministrari possit, necesse non est ut omni vitae spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum (*Lib. VI*, n. 284).

2°. Si vomitus periculum adsit, viaticum dari non potest, licet praemittatur experientia cum particula non consecrata (*Lib. VI*, n. 292, v. *In dubio*).

3°. Pueris ratione pollentibus etiam rite viaticum dari potest^{a)}; necnon phreneticis, dummodo bene vixisse constet aut paulo ante confessi sint, et periculum irreverentiae non adsit: ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata.

4°. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex S. Rituum Congregationis decreto anno 1622 edito^{b)}, viaticum mini-

^{a)} *Apostolici muneris*, § 2 et seq., diei 8 Febr. 1745. — S. Augustin., De Conjugiis adulterinis, lib. 1, cap. 28, n. 35; Migne, Patr. Lat., tom. 40, col. 470. — S. Pius V, brev. *Supra gregem*, diei 8 Mart. 1566; in Bullario Mainardi.

Moribundus sensibus destitutus absolvi potest.

Pluries dari potest viaticum.

Quando nam dari nequeat.

Sacerdos infirmum inducat ad recipiendum viaticum.

Ad viaticum mortis periculum.

Dari nequit si periculum vomitus est.

Quid, pro pueris, et phreneticis.

Quid, in Parasceve.

Allocutionis exemplum.

strare, non tantum licet, sed ad hoc parochi tenentur.

266. - 5°. Communis sententia tenet quod in eadem infirmitate aegroti non jejuno pluries viaticum dari potest; saltem si intersit sex vel octo dierum spatium. Immo multi DD. minus temporis intervalli exigunt. Vide *Lib. VI*, n. 284 et 285. — Si tamen aegrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest ei ipsomet die viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo supervenienti morbo violento, nempe vulneris, veneni, casus et similis, advenerit. Secus, si aegrotus in infirmitate jam constitutus mane communicavit; vide rationem, citato numero 285, *Dub. 3*.

267. - 6°. Si infirmus tantum confessus sit et malum increbrescit, tunc sacerdos eum, ut quanto citius viaticum accipiat, sedulo disponat, ut sana mente et majori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi viaticum in animum inducere curet, ut ita munitus daemonis viribus majori nixu et gratia obstare possit, utque Jesu Redemptori nostro magis se uniat, qui eum invisere cupit (dicat), ut suas possit in eum gratia sefundere et ad coelestem patriam brevi perducere: sin autem, et si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandrinus ait, quod sancta Eucharistia etiam morbos depellit et aegrotos sanat. Et de suomet patre S. Gregorius Nazianzenus refert quod, statim ac communionem accepit, convaluit^{a)}.

268. - Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur: *Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est; ideoque optimum est ut quam citius potes, viaticum accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc tuae aeternae salutis expedierit; si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet et tui itineris ad beatam patriam*

^{a)} S. Cyrill., in Joan., vi, 57, lib. 4, cap. 2 (al. 17); Migne, Patrologia Graeco-Latina, tom. 73, col. 586. —

comes erit. Quid dicis? Cupisne viaticum accipere? — Equidem. — Eja igitur praepara animam ad amplectendum tuum Redemptorem qui pro te mortuus est. Dic toto corde: *Veni, Jesu mi, veni, amor meus, omne bonum meum! Veni! Ad te anima mea desiderat! Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea in aeternum.*

269. - Sacerdotis autem, cum viaticum advenerit, sit cura ut in infirmi cubiculo non adsint parentes, qui passionis ei esse possint causa, uxor nempe, sorores et caeteri. Tunc ei subjungat: *S. Philippus Neri, cum in suo cubiculo SS. Sacramentum videret, exclamavit: En amor meus, en amor meus! Dic etiam, frater, dic: En amor meus! En hic est Filius Dei qui pro tua salute descendit de caelis, homo factus est, qui pro te in cruce mortem subire voluit et nunc te invisurus est in ipso tuo cubiculo. Bono sis animo! jam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum jam te poenituit et adhuc te poenitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; ita ne est? Eja ergo dic: Amo te, Deus meus, super omnia, et quia diligo te, me poenitet peccasse: propter amorem tuum libenter morior; si tibi placet, mori cupio, ut videam te et in aeternum amen.*

270. - Dicat inde: *Si igitur, N... Jesum amas, ignoscis nunc amore ipsius omnibus qui te in aliquo offenderunt; non est ita? Petisne etiam veniam, quibus injurias et offensas irrogasti? Eja igitur, converte faciem tuam ad Jesum qui te amplecti cupit: dic toto corde: Domine, non sum dignus. Sed licet indignum te tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardentem voca: Veni, Domine, veni, amor meus! Deus meus et omnia, veni! Ad te sicut anima mea et praeter te nihil aliud cupit.*

S. Philip. Ner., Bacci, Vita di S. Filippo, lib. 4, cap. 1, num. 3.

Collectione Gardelliana, nec in Collectione authentica. In hac autem ultima Collectione reperitur decretum diei 15 Maji 1745 (n. 2383) in quo indicatur modus servandus in ministrando viatico, die Parasceve.

S. ALPHONSI, Opera moralia. — Tom. IV.

267. - ^{a)} S. Gregorius Nazianzenus, *Oraatio 18, funebris in patrem*, n. 28 et seqq., narrat patrem suum, episcopum, cum ad extrema reduceretur, miraculose ob preces populi, fuisse a Deo sanatum, ita ut statim po-

265. - ^{a)} S. Congr. de Sacramentis, diei 8 Augusti 1910, declaravit: « Detestabilis omnino est abusus non ministrandi viaticum

et Extremam Unctionem pueris, post usum rationis ».

^{b)} Decretum istud non invenitur nec in

Postea, in gratiarum actione.

271. — Communicato jam infirmo, ad gratiarum actionem illum adjuvet sacerdos: *Eja igitur frater, age nunc Domino gratias, qui ad te venire teque amplecti dignatus est! Sacramentum est et vere dicitur futurae gloriae pignus. Dominus tecum est, quid amplius times? Exsulta, frater, Deus tibi dare vult paradisum, ideoque totum se tibi impertiri dignatus est; dic ergo: Dominus meus, amor meus te amplector! Tibi gratias ago, te amo, et in aeternum me te amaturum spem habeo: me poenitet te offendisse, et nunc quidquid mihi superest vitae, in tuum amorem impendere firmiter propono.*

272. — *Jesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua! Sanctam perseverantiam et amorem tuum mihi tantum concedas precor, ita ut amando te animam efflem, ut veniam ad te amandum semper in coelo. Tu me non deseres, ego non deseram te; ergo Deus animae meae, in aeternum nos invicem diligemus.*

III. — Circa Extremam Unctionem.

Extrema Unctio quandonam ministranda sit.

273. — Extrema Unctio, uti est ultimum sacramentum, ita ex D. Thoma est vitae spiritualis corona. Ipsa homo munitus ad coelestem patriam ingredi disponitur. Unde sacramentum hoc, dum aegrotus mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur, quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum, saltem probabile, immineat (ut in nostra Morali, *Lib. VI, n. 714*), tamen ad ultimum vitae discrimen prorsus differendum non est (*ibid.*, v. *Advertendum autem*). Unde ait Catechismus Romanus¹ graviter peccare parochos illos qui conferunt Extremam Unctionem, quando nulla adest spes vitae et aegrotus jam privatur sensibus.

274. — Aegrotus sacerdos suadere studeat: *Primo*. Quod Extrema Unctio, si animae profutura erit, etiam ad corporis sa-

¹ D. Thom., 3^a P., qu. 84, art. 1. ad 1; 1^a 2^{ae}, qu. 102, art. 5, ad 3. — ² Part. 2, cap. 6, num. 9. — ³ Sess. 14, de Extr. Unct., cap. 2. — Joan. Herold., dictus Discipulus,

tuerit in suo cubiculo «mysteria peragere» (Migne, *Pair. Graeco-Lat.*, tom. 35, col. 1018 et seqq.). Quid autem sibi velit haec locutio

nitatem confert, ut Tridentinum²: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur*. Haec tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile est iterum restitui ad salutem. De quodam jam defuncto refert Joannes Heroldus, hunc revelasse, quod, si Extremam Unctionem prius accepisset, statim e morbo convaluisset; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, et ad purgatorii ignem centum annis damnatus.

Secundo. Extrema Unctio peccatorum reliquias remittit et per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet D. Thomas (Vide *Lib. VI, n. 731, v. Commune*). Ideoque instruat infirmus ut, dum quinque corporis sensus unguuntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat et cum astantibus etiam respondeat. *Amen*.

Tertio. Particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim et impetum frangat, subministrabit. Quare multum probabile est, gravi se obstringere scelere, qui hoc sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus, *n. 107*.

275. — Aliqua de hujus sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit.

1^o. Speculative tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo; non tamen practice, quia haec vera unctio non esset (Vide in Morali, *Lib. VI, num. 709, Dub. 4*).

2^o. Unctio quinque sensuum, secundum communiorem sententiam, est de necessitate sacramenti: unde, pestis tantum tempore aut alicujus imminentiis mortis periculi, una tantum et in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest; sed semper sub conditione, *si valet*, et cum unica forma, dicendo: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per sensus, nempe vi-*

Sermones Discipuli, cum Promptuario exemplor., prompt., lit. V, exempl. 29 (edit. Venet. 1598). — S. Thom., suppl., qu. 80, art. 1, corp.

«mysteria peragere»; num significet Sanctum celebrasse Missam in cubiculo, disputant eruditi. Cfr. Migne, *loc. cit.*, col. 985.

Extrema Unctio confert interdum sanitatem.

Reliquias peccati remittit.

Auxilia particularia praebet.

Requiruntur diffusio olei.

Quid, de unctioe quinque sensuum.

et quibus deneganda.

sum, auditum, gustum, odoratum et tactum. Si tamen aeger supervivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in omnibus quinque sensibus cum solitis orationibus^{a)}.

Quid, de gemina unctioe;

de unctioe renum;

de unctioe pedum;

de ordine servando.

Extrema Unctio pueris conferatur.

Quibusnam danda,

3^o. Non est de necessitate sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; immo unum tantum oculum, unam manum, etc. ungere licite sufficit, dum periculum infectionis aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. — Unctio renum in mulieribus, et etiam in viris, *quando infirmus*, ut Rituale monet, *commode moveri non potest*, omittitur^{b)}. — Unctionem tamen pedum non esse de necessitate sacramenti tenet communis sententia. Sed quoad hoc ecclesiarum consuetudo servanda est (*Lib. VI, n. 710, v. Certum*). — Nec etiam de necessitate sacramenti est in unctioe partium ordinem servari: gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum ordinem non servat (*ibid.*, v. *Nec etiam*).

4^o. Extrema Unctio rite confertur pueris, qui ratione pollent, licet non adhuc communionem acceperint^{c)}. In dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus carentibus non procedit (*Lib. VI, n. 719, et 720*).

5^o. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui, dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint et Extremam Unctionem petierint, aut verisimiliter petissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiae periculo, dari potest: et eo magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionate dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet, in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impenitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis peni-

Ritua., de Sacramento Extremae Unctionis, cap. 1, num. 15, v. *Quinque vero*. — Ritua., loc. cit., num. 3,

275. — a) S. C. S. O., die 25 Apr. 1906, decrevit «in casu verae necessitatis sufficere formam: Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen». — Quapropter si infirmus supervivat,

tus denegari debet, ut Rituale Romanum monet (Vide *Lib. VI, n. 732*). — Mulieribus etiam, si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest.

6^o. Orationes praescriptae extra formam in casu necessitatis omitti possunt, quae postea dicentur, si tempus suppetet (*Lib. VI, n. 727*); et in tali casu sacramentum dari potest etiam sine luminibus et ministro (*n. 728*), et etiam probabiliter sine superpelliceo et stola (*n. 726*).

7^o. Extrema Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus a priori probabiliter convaluerit, et in aliud simile vitae discrimen inciderit, ut docet Tridentinum¹ (Vide *Lib. VI, n. 715*).

8^o. Cautus sit sacerdos in movendo aegrotus, ut partes viciniores ungat; si tamen caute revolvat, et casu ille e vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse; quia in hoc casu irregularitas non potest incurri nisi ob delictum, a quo, qui charitatis causa aliquid inculpabiliter agit, immunis est.

Denique recte parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum praevidet, ut si vocatus ad conferendam unctionem praesto non esset (*Lib. VI, n. 730*).

§ V. — Monita circa agonem et mortem.

276. — Cum infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiae armis ad eum juvandum, quantum potest, sacerdos utatur.

1^o. Saepius infirmum aqua benedicta adspergat, praesertim si diabolicis tentationibus exagitur, dicendo: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*.

2^o. Crucis signaculo eum uniat et benedicat dicens: *Benedicat te Deus Pater qui te creavit; benedicat te Filius qui te redemit; benedicat te Spiritus Sanctus qui te sanctificavit*.

3^o. Salvatoris, necnon Mariae aliquam imaginem saepius osculandam praebat.

v. *Impenitentibus*. — ¹ Sess. 14, de Extrema Unctioe, cap. 3.

non sunt supplendae reliquae partiales unctiones; supplendae vero erunt aliae orationes, juxta Ritualis praescriptum.

^{b)} Vide notam h, ad *lib. 6, n. 710*.

^{c)} Cfr. supra, *n. 265*, notam a.

Ritus in casu necessitatis.

De iteranda Extrema Unctioe.

Sit prudens sacerdos in ministranda E. U.

Sacerdos moribundum adjuvet:

aqua benedicta;

crucis signaculo;

sacris imaginibus;

indulgentiis;

4°. Curet ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et praesertim accipiat benedictionem in articulo mortis Benedicti XIV cum indulgentia plenaria, quam infra, n. 287, annotabimus.

affectus suggerendo;

5°. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem ac B. Mariae intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat et ruminandi tempus et quiescendi.

6°. Studeat ut saepissime sanctissima Jesu et Mariae nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria, mater gratiae, etc.*

moribundum aliorum precibus commendando.

7°. Agonis tempore, faciat ut circumstantes pluries B. Mariae Virginis litanias pro aegroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis ad significandam omnibus instantem mortem expirantis aegroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis juvare potest. Et hic generatim animadvertendum est quod, cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes quam verba.

Quid faciendum in tempore expirationis.

8°. Cum tempus expirandi instat, sacerdos flebili voce et flexis genibus consuetas ecclesiae orationes recitet: *Proficiscere, etc.*, ut in fine Breviarii aut Rituali habentur.

9°. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut, an frigerit, sentiat, caveat saltem, ne saepius fiat, ne eum perturbet; et ne illum vertant curet, in illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset.

10°. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradit ei candelam benedictam, ut teneat et ita in fide mori profiteatur.

Infirmo iterari potest absolutio,

11°. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferri post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiae securus reddatur, si forsan praeteritae confessiones invalidae fuissent, aut saltem gratiae augmentum recipiant, necnon purgatorii poenae ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne illum exterreat, sed monens ut Jesu ac Mariae nomina invocet; si rursus tentatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat.

Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde saepius intra eundem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen, ut sacramentum possit administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est ut aliquod notabile temporis spatium praeterlabatur. Verum in hoc sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si ex aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius absolutio dari potest: sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si jamjam moriturus est. — Non abs re autem erit, aegrotum, dum mente pollet, monere ut, si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, ex. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet et similia.

etiamsi sensibus sit destitutus.

277. — Denique, cum e vita jam migrasse videtur, caveat sacerdos ne statim det hujus mortis signum, nec ei statim oculos aut os claudat, aut visum pannis cooperiat; quia, si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors acceleraretur. Cum autem certo scit, animam jam ad aeternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illo orent, moneat, et ipse flexis genibus dicat orationem: *Subvenite, etc.*, ut in Rituali vel in Breviario.

Prudentia sacerdotis tempore mortis.

§ VI. — *Affectus, qui suggeri possunt agonis et expirationis tempore.*

278. — *In te, Deus meus, infallibilis veritas, credo; in te, immensa misericordia, spero; te, infinita bonitas, amo. — In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. — Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea in aeternum. — Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. — In pace in idipsum dormiam et requiescam. — Deus meus, ne permittas me separari a te! Nihil aliud*

Affectus suggerendi agonis tempore.

quam te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo! (Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris et doloris). — *Jesu mi, qui mox me judicaturus es, parce mihi antequam judices! Te amo, et quia te amo, me poenitet te offendisse. — Jesu mi dulcissime, ne permittas me separari a te! — Sanguis Jesu, lava me; passio Christi, salva me! — In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. — Moriar, Domine, ut te videam! — Maria, mater Dei, ora Jesum pro me! — Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende! — O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum! — Mater mea, ne derelinquas me! — O paradise, o pulchra patria, o amoris patria, quando te videbo! — Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo! — Quandonam, Jesu mi, te non amplius amittendi securus ero! — Deus meus et omnia! — Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus. — Deus meus, propter amorem Jesu miserere mei! — Mitte me, Domine, in purgatorii ignem, quamdiu vis; noli tamen in infernum, ubi te amare non possum! — Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos praetioso sanguine redemisti! — Aeternae Deus, spero et cupio in aeternum te amare, — Amor meus crucifixus est. Jesus meus, amor meus, pro me mortuus est. — Deus, in adjutorium meum intende! Domine, ad adjuvandum, etc. — Pater aeternae, propter amorem Jesu Christi da mihi gratiam tuam! Te amo, me poenitet, etc. — Quomodo possum de tot tantisque beneficiis, quae mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias? Spero in aeternum in coelo tibi gratias agere. — Maria, mater gratiae, mater misericordiae, etc. — Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc. — Misericordias Domini in aeternum cantabo.*

Affectus, expirationis tempore.

279. — Dum jam aegrotus est proximus ad expirandum: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum! — Jesu mi, tibi animam quam tuo sanguine redemisti, commendo!* (Hic notandum, quod, dum infirmus jam ad exhalandam animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa et fortiori voce). — *Domine Jesu Christe,*

suscipe spiritum meum! — Deus meus, adjuva me! Sine me venire ad amandum te in aeternum! Jesu mi, amor meus, te amo, me poenitet. O nunquam te offendissem! — O Maria, spes mea, adjuva me, ora pro me Jesum! — Jesu mi, propter passionem tuam salva me! Te amo! — Maria, mater mea, in hac hora adjuva me! S. Joseph, adjuva me! Archangele Michael, defende me! Angele custos, custodi me! S. N., (hic praecipui protectoris aegroti fit mentio) commenda me Jesu Christo! Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me! — Jesus, Jesus, Jesus. — Jesus et Maria, vobis cor et animam meam dono.

§ VII. — *Imminentis mortis signa.*

280. — Opus est ut sacerdos, qui charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat, ut ita aegroto jam expiranti melius auxiliari possit. — Praecipua et universalis sunt tria: 1°. Pulsus deficiens, intermittens et formicans; 2°. respiratio anxiosa; 3°. oculi excavati et vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciunt objecta diversa, quam aliis apparent, aut cum palpebra superior relaxatur et inferiorem praetergreditur.

Signa mortis universalis.

281. — Sunt etiam proxima mortis signa: Nasus acuminatus et in extremitate albescens, et si nares ad instar folliis sufflant; manus trementes, unguis lividi, facies flavescens, livida aut mutata; flatus male olens aut frigidus, corpus immobile, sudor frontis vel frigidus, calor in cordis parte nimis, festucas aut lanugines colligere, frigiditas in extremis omnibus partibus.

Signa proxima.

282. — Signa tamen proximiora expirationis sunt: Respiratio intermittens aut languida; defectio pulsus; dentium contractio et stridor; distillatio in gula; lene quoddam suspirium aut gemitus; lacryma per se fluens; oris, oculorum et totius corporis torsio.

Signa proximiora.

283. — Advertatur 1°. quod laborantes hydropsi, hectica febris vel vulnere, asthmate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina et rheumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum et cum pulsu valido ac loquentes expirare solent.

Monita pro diversis morbis.

Advertatur 2°. proximos morti esse qui pleuritide laborant, dum respirationis

difficultas, anhelitus augmentum et labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquo moriuntur. Hydropici, dum pulsus deficit, et anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui feбри intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt.

Advertatur 3^o. quod in aliquibus aegrotis flatus est adeo debilis et cordis exagitatione, ut jam mortui videantur, et tamen non sunt. Signa certiora mortis sunt: Omnium partium frigiditas, etiam in regione cordis, corporis gravitas, acris odoris naribus inmissi stimulum non sentire, speculum ori admotum flatu non maculari, et similia.

Demum advertatur, quod interdum signa, superius in primo loco adducta, fallunt et etiam sine illis repente moritur infirmus: ideoque dum aegrotus in agone manet, sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

§ VIII. - *Preces, actus christianam, benedictiones.*

284. - Sacerdos domum aegroti ingrediens dicat:

☩ *Pax huic domui.*

☩ *Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta adspersat, dicens: *Adsparges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.*

Deinde dicere potest orationes, quae in Rituali pro Extrema Unctione exstant. Postea Redemptoris imaginem accipiat dicens: *Ecco crucem Domini, fugite partes adversae!* et aegroti osculandam praebet, dicens: *Deosculare pedes Jesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

285. - Deinde dicat: *In Deo, N. N., igitur spem tuam jacta! sperare volumus, Mariam a Deo salutem tibi obtinere velle: infirmitas tamen gravis est; voluntati Dei*

Bened. XIII, indult., de die 15 Jan. 1728; Raccolta n. 11 (edit. Rom. 1898).

286. - a) Postea vero Benedictus XIV, decreto S. C. Indulg., diei 28 Jan. 1756, indulgentiam de qua agitur concessit toties quoties.

b) Juxta Benedictum XIII (decr. S. C. Indulg., diei 30 Jul. 1735) sufficiebat elicere actus

tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. *Eia igitur mecum recita christianos actus, ut cum istis ad mortem te dispo- nere valeas, si pro bono animae tuae sic Deus determinavit; dic ergo mecum:*

286. - Actus fidei. — *Deus meus, infallibilis veritas, quia tu, quod credere debeam, sanctae Ecclesiae revelasti, credo quod credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omnium Creatorem, qui per totam aeternitatem paradiso justos remuneras, peccatores vero castigas inferno. Credo mysterium SS. Trinitatis, id est, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres personas, sed unum Deum. Credo secundam personam, id est, Filium Dei, hominem factum in utero Mariae semper virginis, et pro nobis peccatoribus mortuum esse. Deinde resurrexit et nunc sedet ad dexteram Patris; et inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo septem sancta sacramenta, et praecipue Baptismum, Poenitentiam, Eucharistiam et Extremam Unctionem. Credo omnes resurgere debere cum corporibus suis; et denique credo omne id quod credit sancta Ecclesia catholica Romana, in qua sola credo esse veram fidem.*

Actus spei. — *Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis potens et misericors es, propter merita Jesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem et gloriam paradisi.*

Actus amoris et doloris. — *Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota anima mea me poenitet et displicet. Potius mori quam peccare propono, cum gratia tua, quam ut nunc mihi des et semper, te precor. Et propono sancta sacramenta recipere in vita et in morte.*

Benedictus XIII omnibus, qui semel in die a) hos eliciunt actus b), septem annos

mere internos. Sed Benedictus XIV, in decreto S. C. Indulg., diei 28 Jan. 1756, declaravit actus mere internos ad indulgentiam lucranda non sufficere; non requiri tamen formulam determinatam, dummodo expriman- tur motiva cujusque virtutis theologalis.

Indulgentiae actibus christianis annexae.

et septem quadrag. indulgentiae largitus est; et si per mensem integrum fiant, confessis et communicatis, juxta mentem Pontificis orantibus, indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum animabus, concessit: et si in fine vitae quis faciat, indulgentiam in articulo mortis.

BENEDICTIO IN ARTICULO MORTIS.

Cuinam dari possit benedictio in articulo mortis.

287. - Pontifex Benedictus XIV, anno 1747, episcopis facultatem concessit et eorum delegatis, indulgentiam plenariam aegrotis petentibus impertiri, postquam Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis sacramenta acceperint aut si signum aliquod doloris dederint et po-

Bened. XIV, bulla Pia mater, diei 5 April. 1747.

287. - a) Textus sic perficitur in bulla citata «... apostolicae litterae, in forma brevis, gratis per omnia expediantur, quibus praedicta facultas concedatur... ad omne tempus quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt».

stea sensus amiserint. Non vero excommunicatis et impenitentibus, nec etiam illis, qui in evidenti peccato mortali moriuntur.

Advertendum tamen quod praedicta facultas debet ab episcopis exposci a quocumque Pontifice pro tempore; in bulla enim *Pia mater*, edita a Benedicto XIV, die 5 Aprilis anno 1747, sic dicitur: *Cum novi episcopi catholicis gregibus in posterum praeficiuntur, volumus atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis sive a Romano pro tempore Pontifice postulantes apostolicae litterae etc. a). Modus, quo datur benedictio est hic b).*

b) S. Alphonus hic opportunum judicaverat formulam hujus benedictionis inserere, necnon modum benedicendi et imponendi quaedam scapularia. Sed cum hujusmodi formulae facillime hodie reperiuntur, eas hic referre supervacaneum duximus.